



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.  
Pont. Max. Liber II.**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

§. VII. De Foro Privilegiato Laicorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

quæ verba invitos denotant. Igitur volentes conveniri ibidem possunt. 4. Idem clarius habetur *can. pulsatus 3. caus. 3. q. 6.* ubi permittitur Clerico, ut *pulsatus*, seu vocatus *ad Judicem non suum, si voluerit, taceat.* 5. *can. mandastis 10. caus. 2. q. 5.* Sixtus III. coram Concilio, autoritate Valentiniani Imp. congregato, suspectus de crimine se purgavit. 6. *c. dilecti 17. h. tit.* habetur, quod privilegium fori non profit ijs, qui se certo loco respondere, vel solvere promiserunt.

102 Sed his non obstantibus, dicendum, Clericos nec invitos, nec volentes renuntiare posse privilegio fori Ecclesiastici, & consentire in Judicem Laicum, ut coram ipso conveniantur. Ita Pirh. *hic n. 176. Zæf. n. 20. Schamb. n. 40. Engl. n. 39.* cum communi DD. & constat ex *c. si diligenti 12. h. tit.* Ratio est, quia privilegium hoc exemptionis non personale, sed toti Statui Clericali publicè indultum, adeoque favor, & Jus publicum est, cui per privatorum pacta derogari non potest. *Proceditque hoc 1.* non tantùm in causis Spiritualibus, & Ecclesiasticis, ubi exemptio est Juris Divini, sed etiam in temporalibus, & profanis; nam neque de his conveniri Clerici coram Judice Laico possunt, ut dictum est *n. 79.* *Procedit 2.* sive expressè, sive tacitè renuntiaverit Clericus e. g. quia patitur se conveniri, & condemnari à Judice seculari, & non contradicit. *Gloss. in c. si diligenti cit. V. manifestè in fin. Abb. ibid. n. 25. Pirh. l. cit.* Ratio est, quia regulariter plus non operatur consensus expressus, quàm tacitus. *Procedit 3.* etsi per pactum Juramento confirmatum in Judicem Laicum consenserit Clericus. *Gloss. fin. in c. cit. Zæf. n. 21. Pirh. n. 177. Schamb. Engl. l. cit.* quia Juramentum tale cedit in præjudicium Status Clericalis; conf. non est obligatorium.

103 Neque urgent Argumenta allata. *Ad 1.* constat ex probatione responsionis, hoc privilegio concedi favorem publicum. *Ad 2.* Juris Civilis dispositio, cum de Ecclesijs, & Clericis agitur, attendi non debet, ubi contrarium SS. Canones disponunt. *Ad 3.* quamvis ab initio privilegium fori Clericis hoc pacto concessum sit, ne ad secularia Judicia trahantur, sive venire compellantur, postea tamen constitutum est, ut ne volentes quidem coram Judice Sæculari se purgare, litigare, vel respondere possint, ut patet ex *c. si diligenti cit.* *Ad 4. can. pulsatus cit. intel-*

ligi debet non de Judice Sæculari, sed Ecclesiastico alieno; nam coram hoc, accedente consensu Episcopi, respondere Clericus potest. *Gloss. ibid. V. si voluerit, & V. teneat.* *Ad 5.* Sixtus III. se purgavit in eo Concilio, non ex obligatione, sed ultro, ac sponte, per hoc non dans Successoribus suis formam, & exemplum se ita purgandi, ut expressè *in can. cit.* additur. *Ad 6.* ibi sermo est de privilegio non communi toti Ordini Clericali, sed speciali, Clericis in certo loco concessio, ne sc. possint conveniri citra mare: cui derogari propria renuntiatione potest, cum non concernat aliquid cedens in detrimentum Status Clericalis.

104 Quæritur 7. quæ sint pœnæ Clericorum renuntiantium Privilegio fori Ecclesiastici? hæc pœnæ expressæ sunt *can. nullus 6. can. inoluta 42. can. placuit 43. caus. 11. q. 1. & c. si diligenti 12. h. tit.* quarum aliæ in Actorem, aliæ in Reum latæ sunt. Si Clericus Actor alium Clericum trahat ad Judicium Sæculare, perdit causam, si ea Civilis sit, & à comunione efficitur extraneus, vel alienus, h. e. excommunicatur, donec satisfecerit Reo, & Ecclesiæ pro injuria, quam utrique irrogavit. Clericus verò Reus, si coram Judice Sæculari conventus, voluntariè se purget, vel respondeat coram eodem, si causa Civilis sit, perdit, quod evicit, sive obtinuit, vel si retinere hoc velit, amittit locum suum, seu debet deponi. Si verò causa criminalis sit, locum suum amittit, & deponi debet ab officio, & Beneficio, sive deinde sententia pro eo lata sit, sive contra eum.

Porro, ut cum alijs notat Pirh. *hic 105 n. 180.* circa has pœnas tria sunt advertenda. 1. Pœna hæc amissionis neque ab Actore, neque à Reo incurritur ipso Jure, sed per sententiam Judicis; quia verbum *Perdant* non est tam præsentis temporis, quàm futuri; per verba autem futuri temporis imponitur pœna non ipso Jure, sed per sententiam. 2. Actor Clericus non incurrit hanc pœnam amissionis per solam citationem Rei Clerici: imò ad eam evitandam sufficit, si in quacunque litis parte ab incepta causa desistat. 3. Prædictam pœnam amissionis causæ etiam non incurrit Laicus trahens Clericum ad Judicium Sæculare *Auth. statuimus C. de Episc. & Cleric.* ubi etiam habetur, quod Judex potestare judicandi privandus sit.

## §. VII.

## De Foro Privilegiato Laicorum.

## SUMMARIUM.

106. Quenam persone dicantur miserabiles?  
107. Quale privilegium habeant ratione fori?

108. Quando uti nequeant hoc privilegio?  
109. Privilegium ratione fori competens militi?

110. Non competit preventio ab alio Judice, antequam miles fieret.  
 111. Privilegium Studioforum.  
 112. Quinam illo gaudeant?  
 113. Requisita, ut gaudeant?  
 114. An eo gaudeant etiam Cessatores?  
 115. An extra patriam suam studentes, vel docentes?  
 116. Utrum etiam in Criminalibus?  
 117. An Studiosus ad locum delicti remitti debeat?  
 118. An ita remitti debeat preventus ab alio

- Judice, antequam Scholaris fieret?  
 119. An Magistratui Academico competit Jurisdictio in Clericos Studiosos?  
 120. Quando Privilegium Fori Academici amittatur?  
 121. Forum Speciale Principum, & Ordinum Imperij, seu Austregarum.  
 122. Cause, quae in foro Austregarum decidi possunt.  
 123. 124. 125. Quomodo singulis Imperij Statibus forum hoc competit?

**P**raeter Clericos etiam Laici quidam Forum privilegiatum habent, suntque quatuor praecipue illorum genera. 1. Personae miserabiles. 2. Milites. 3. Studiosi. 4. Principes, & Ordines S.R. Imperij.

105 Quæritur 1. de foro miserabilium personarum. Et 1. quidem dubitatur, quinam hic veniant nomine personarum miserabilium? R. 1. sunt pupilli l. un. C. quand. Imp. int. pupill. & viduas &c. Proceditque hoc, etiam Tutorem, & Defensorem habeant, ut contra Paul. de Castro in tit. cit. teste P. Friderich de for. compet. edit. 2. n. 380. communis aliorum habet, & ratio est, quia Imperator l. cit. generaliter loquitur, ac proinde etiam illos privilegio suo donat, qui habent Tutores. Accedit, quod si privilegium illius Legis restringeretur solum ad pupillos defensore carentes, vix unquam locus eidem foret, cum pupillus sine defensore in Judicio stare nequeat.

2. Viduae l. un. cit. Estque hoc verum, etiam si non sint pauperes, ut contra Roland. à Valle Vol. 2. conf. 20. n. 12. docet Gaill. l. 1. obs. 1. n. 40. Sperell. for. Eccl. Decis. 156. n. 33. & ipse Roland. vol. 1. conf. 76. n. 45. quos sequitur P. Friderich l. cit. n. 381. & P. Schmier de Judic. c. 3. n. 269. quod etiam dicendum de pupillis. Ratio est, quia Imperator, dum privilegium istud concecit, inter pauperes, & opulentos non distinguit, nec rationem sumpsit à paupertate, sed ex eo, quod miseratione digni sint; ista autem digni sunt pupilli, & viduae etiam opulentae, illi ob ætatis, hæ ob sexus imbecillitatem, ob quam premi, etiam dum opulentae sunt, solent. ergo &c.

4. Femina maritum quidem habens, sed inutilem, seu à quo defendi nequeat, quia v. g. captivus, exul, ad turremes damnatus est. Gaill. l. cit. n. 44. Pignatell. tom. 5. consult. 2. n. 55. P. Friderich n. 383. P. Schmier n. 267. arg. c. inter corporalia 2. §. sed neque de Translat. Episc. l. vir mulieri 64. ff. de donat. int. vir. & mulier. quia æqualem commiserationem meretur vidua, sive maritum omnino non habeat, sive habeat, sed talè, à quo auxilium sperare nequeat.

4. Virgo, sicut non habeat, à quo defendi possit, ut contra Felin. Covar. Gaill.

& alios probabiliter docet Azo in Summ. ad tit. C. quand. Imper. cit. Sperell. decisi. 158. n. 3. & plures alij ab hoc c. fatenturque Covar. pract. qq. c. 7. n. 2. sententiam istam communem esse inter DD. Ratio est, quia ut Javolenus l. malum 242. §. viduam 3. ff. de V. S. ait, Viduam non solum eam, quæ olim nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset, appellari, ait Labeo; quia Vidua sic dicta, quasi vecors, vesanus, qui sine corde, & sanitate esset; similiter Viduam dicunt esse sine duitate.

5. Senes decrepiti, item qui diuturno morbo exhausti, & enervati, & generaliter omnes, qui naturali commiseratione ob fortunæ injuriam digni sunt l. un. C. quand. Imp. Quinam autem in specie pro talibus habendi sint, Judicis arbitrio relinquendum est, ut ex receptissima DD. sententia notat Menoch. de arbitr. cas. 55. n. 1. & Mascard. concl. 1066. n. 1. & sqq.

Dub. 2. quale Privilegium ratione fori habeant personae miserabiles? R. triplex maximè privilegium ipsis competit, quorum duo priora ipsis concessa sunt Jure Civili l. un. C. quand. Imper. tertium Ecclesiastico per c. novit. 13. de Judic. & c. licet ex suscepto 10. c. ex parte 15. h. tit. Sunt autem sequentia.

1. extra Provincias, in quibus sunt, ad Comitatum, h. e. ad Curiam, Consistorium, vel ad Examen Imperatoris vocari nequeunt, nec ibi conveniri invitæ.

2. Si alios conveniant, immediatè Cæsarem adire, & adversarios suos coram eo in prima statim instantia convenire possunt. Proceditque hoc, sive oppressionem sui in alio Tribunali metuant, sive non, ut patet ex particula præsertim, quæ Imperator in l. un. cit. utitur; nam particulis maximè, & præcipuè æquivalet, conf. implicative est, & casus alios contrarios non excludit, sed involvit, ut alijs cit. notat P. Friderich de for. compet. edit. 2. n. 378. & P. Schmier. de Judic. c. 3. n. 271.

3. Si personae ista vi oppressa, & spoliata possessione sua sunt, spoliatorem Laicum coram Judice Ecclesiastico, omittis etiam Judicibus alijs Ordinarijs, sub quorum Jurisdictione sunt, convenire immediatè possunt: idque verum est non tantum, quando Judex Sæcularis in Justitia iisdem

administranda est negligens; nam hoc casu provocare ad Judicem Ecclesiasticum possunt etiam personæ non miserabiles. *c. licet ex suscepto cit.* sed etiam quando Judex Laicus administrare ipsis Justitiam vellet, ut patet ex *c. ex parte cit.* & communi omnium sensu receptum fatetur Covar. *pract. qq. c. 6. n. 1. v. imò* *Et in hoc*, licet ipse contrarium ibidem teneat. Ratio est, quia causæ viduarum, & aliarum miserabilium personarum, quæ per injuriam, vel vim oppressæ sunt, earumque defensio ad Ecclesiam spectat saltem cumulative. Unde corrui Argumentum Covarruvæ, quod sumit ex *c. novit. cit.* ubi Pontifex profitetur se nolle turbare Jurisdictionem Laicorum; non enim turbat illam, dum patrocinium hujusmodi personarum suscipit, quod à Deo sibi, & Ecclesiæ commendatum habet.

108 Dub. 3. quibus casibus personæ miserabiles privilegio hoc Juris uti nequeant?  
 R. 1. Hoc privilegio uti non possunt Viduæ viventes impudicæ. Covar. *pract. qq. c. 7. n. 1.* Sperell. *decis. 158. n. 26.* P. Friderich *de for. compet. edit. 2. n. 384.* & ratio est, quia non censendum, Imperatorem voluisse hujusmodi Viduis favere contra monitum Apostoli *1. Timoth. 5. v. 3. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt*, ubi *v. 6. explicans*, quæ verè vidua sit, addit, *Quæ in delicijs est, vivens mortua est.*

2. Meretrices. Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 962. n. 20.* Sperell. *l. cit. n. 25.* P. Friderich *n. 384. cit.* & alij apud istos; et si enim miserabilissimæ sint, uti omnes facinorosi, non tamen sunt miserabiles personæ fortunæ injuriæ, ut requirit Imperator *l. un. C. quand. Imper.*

3. Qui suâ culpâ, v. g. luxu, gulâ, ludo, aut ob crimen in paupertatem, malumve aliud se præcipitârunt, ut contra Covar. *pract. qq. c. 6. n. 2. v. sed si quis* do et Andr. de Isern. *in Constit. Neapol. l. 1. tit. 37. n. 9.* Matth. de Afflict. *in l. un. cit. n. 28.* Rebuff. *ad Leges Regias tom. 1. tit. de sent. provis. gloss. ult. quos citat*, & sequitur P. Friderich *l. cit. n. 386.* ex ratione paulò antè allata de meretricibus: quod confirmatur à pari cum Clericorum privilegio, quod datum ipsis est *c. Odoardus 3. de solut. quo privantur*, qui ludo, vel aliâ luxuriosè vivendo bona sua prodederunt.

4. Qui privilegio huic renuntiârunt: quod tamen Gloss. *in l. un. cit. v. excedere*, Gaill. *l. 1. obs. 1. n. 40.* Sperell. *decis. 166. n. 48.* & apud hunc communis sententia negat ex ratione, quia videtur concessum non ratione singularum personarum miserabilium, sed statui ipsarum, & miserationis intuitu: quæ tamen ratio non multum probat; quia personæ miserabiles non magis videntur Statum constituere, quàm Studiosi, qui tamen, ut infra dicetur, renuntiare privilegio fori specialis possunt.

5. Denique miserabiles personæ non possunt uti suo privilegio contra aliam personam miserabilem, eam trahendo in prima instantia ad Curiam Imperatoris. Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 182. n. 21.* Covar. *pract. qq. c. 7. n. 5.* Vincent. de Franchis *decis. 188.* ubi dicit, sententiam istam esse verissimam ex Regula communi, quia privilegiatus adversus habentem par privilegium privilegio suo uti non potest, quando utrumque est speciale, & ex eadem causa concurret: imò si hoc casu usus esset privilegij, etiam reus conventus uti eodem posset, & opponere exceptionem privilegij, quod etiam ipse haber, ne ad Curiam Imperatoris, vel Regis in prima instantia invitus trahatur.

Quæritur 2. quod Privilegium ratione fori militibus competat? R. his per *l. magisteria 6. C. de Jurisdic. om. Judic. l. si quis 29. C. de pact. l. si quis 7. ff. de Judic.* hoc conceditur privilegium, ut si in numerum militum, præfuto Juramento, rite inscripti sint, coram alio Judice, quàm militari, civiliter, aut criminaliter conveniri nequeant. Ita omnes.

Dixi 1. *Si in numerum militum, præfuto Juramento, rite inscripti sint*; nam, ut Ulpianus *l. ex eo 42. ff. de testam. milit.* rectè observat, *qui nondum in numeris sunt*, licet etiam lecti tirones sint, *Et publicis expensis iter faciant, nondum milites sunt; debent enim in numeros referri.*

Dixi 2. *Nequeunt coram alio Judice, quàm militari conveniri*: est autem Judex militaris Magister militum, seu, ut *l. magisteria cit.* loquitur Imperator, *Magisteria potestas.* Hanc potestatem hodie exercet Dux Militum, vel Colonelus, ut loquitur, vel per se, vel per Auditorem suum, & quidem in causis gravioribus, & cap talibus, convocato Senatu militari.

Dixi 3. *civiliter*: quam potestatem in causis civilibus cognoscendi Magistro militum concessit *l. magisteria cit.* cum antea, ut Vultejus *in l. cit. n. 8. Et sqq.* ostendit, eam potestatem Judex militaris non habuerit. Sed & hodie tres casus excipiuntur, quibus fori militaris privilegio non gaudent milites.

1. Si conveniantur ex causâ functionû publicum, seu tributorum *l. un. C. in quib. caus. militant. & l. fin. C. ubi quis de Curial. vel cohortal. Et c.*

2. Si per Provincias sociantur, i. e. mercaturâ causâ societatem Imperatoris consensu contraxerint *l. fin. cit.*

3. Si prædia conduxerint vel à fisco, vel alijs DD. *in l. cit.*  
 Dixi 4. *aut criminaliter*: ubi distinguendum, de quali crimine conveniatur miles; nam si crimen sit militare, contra solas Leges militares admittum, solus Magister militum est Judex competens, ut fatentur omnes. At si crimen sit commune. h. e. contra prohibitionem Juris communis commissum, Gloss. *in l. Magisterie cit. v. etiam Civilium*, & hanc secuti DD. communiter distinguunt, & si eno-

enorme fit, potestatem de eo cognoscendi, & puniendi illud Rectori Provinciae tribuunt, Magistro militum autem, si enorme non sit. Verum hoc discrimen sublatum est hodierna consuetudine, juxta quam teste Boërio de Custod. Clav. n. 29. de omni militum suorum crimine cognoscunt illorum Magistri.

Dubit. Quid sit tenendum de eo, qui postquam præventus jam fuit ab aliquo Judice, miles efficitur, & forum mutat? *Rationem dubitandi* facit l. qui cum uno 4. §. reus 5. ff. de re militar. ubi reus capitalis criminis, si miles voluntarius factus est, capite puniendus dicitur, nec remittendus est, ubi postulatus est.

Sed dicendum, hoc casu privilegium militare non prodesse reo, militi facto, postquam jam præventus est ab alio Judice. Ita Oldrad. Alberic. Fulgos. quos citat, & sequitur Barbof. in l. si quis posteaquam 7. ff. de Judic. n. 66. & P. Friderich de for. compet. edit. 2. n. 398. & aperte constat ex l. si quis posteaquam cit. ubi statuitur, quod si quis posteaquam in Jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse ceperit, ibi nihilominus respondere teneatur, ubi in Jus vocatus est, nec præscriptionem fori opponere possit. Conf. ex l. ubi acceptum 30. ff. eod. ubi pro Regula ponitur, quod, ubi acceptum semel est iudicium, ibi esse finem accipere debeat.

Neque obstat l. qui cum uno allegata in contrarium; loquitur enim de milite voluntario, de quo hac Lege specialiter constitutum est, ut à suo Duce puniretur, etsi alibi ob crimen grave accusatus, & citatus fuisset ante susceptam militiam: cujus Constitutionis ratio fuit, quia ita suscipiendo militiam, graviter deliquit in l. un. C. de reis postulatis, quâ postulatus criminis, antequam ostendat suam innocentiam, vetatur ad honorem militiæ aspirare: quod crimen cum commiserit in ipsa susceptione militiæ, merito à Duce suo pro hoc punitur, ita ut antequam condignam pro hoc poenam receperit, ad Judicem alterum, qui ipsum citando prævenit, non sit remittendus.

111 Quæritur 3. quomodo ratione fori privilegii sint Studiosi? R. his Fridericus I. Barbarossa Constitutione in Comitibus apud Roncalias, seu in Campis ad Padum haud procul Placentiâ in Italia 1158. mense Novembri latâ indulgit, ut si litem eis quispian super aliquo negotio movere voluerit, eos coram Domino, vel Magistro suo (i. e. Rectore Universitatis, ut communiter DD. explicant) vel coram ipsius Civitatis Episcopo de eo conveniat, ita ut optio iisdem competat, an coram hoc, vel illo conveniri malint: quam tamen optionem consuetudine Academicarum sublatam ait Besold. de Jur. Academ. c. 6. n. 2. Quidquid sit, hoc certum, Scholarem, si semel unum ex his duobus elegerit, non posse amplius variare; tum quia per electionem semel factam jus acquiritur adversario, quod ei auferri nequit arg.

l. hujusmodi 84. §. Stichum 9. ff. de Legat. 1. tum quod optione data regulariter non licet nisi semel optare, ut malitius hominum occurratur, quibus indulgeretur, si identidem variari posset. Insertum Constitutionis istius fragmentum est Tit. C. ne filius pro patre &c. & habetur Auth. habita ibid. Rationem Imperator, quâ motus fuit ad privilegium hoc concedendum, his verbis expressit: *Quis eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti de divitibus pauperes semetipsos exinanivunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt.*

Dub. 1. quinam privilegio fori specia-  
lis per Auth. cit. indulti gaudeant? R. 1. Studiosi, qui in Universitate publica sunt immatriculati, ac litteris ibidem dant operam, ut patet ex textu cit. 2. Professores illorum, idque multo magis; quia, ut Auth. cit. dicitur, eorum scientiâ totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo, & hominibus ejus ministris vita subditorum informatur.

3. Utrorumque uxores; quia generale est, quod uxor sequatur forum mariti, non solum domicilij; sed etiam illud, quod marito competit ratione dignitatis, officij, artis, aut privilegij personalis, prout constat ex l. fin. C. de incolis, ubi Imp. Mulieres, inveniunt, honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus. 4. Relictæ eorum Viduæ; quia commune est Viduis, ut gaudeant foro mariti defuncti l. fin. cit. v. fin. autem. l. filij 22. §. Vidua 1. ff. ad municipal. l. quoties 3. C. de privileg. Scholar. Novell. 22. c. 36. Idque verum est pro toto viduitatis tempore, etiam vir ejus, si supervivisset, transacto Studiorum tempore; fuisset amissurus Forum Academicum; quia, ut bene notat P. Friderich de for. compet. edit. 2. n. 373. tempus mortis incipitur.

5. Eorum filij, & nepotes, si in ipsorum potestate existant; gaudent enim privilegio patris, ne iste à Studiis avocetur, si pro filiis coram alio Tribunali respondere cogeretur. Barbof. in l. quia tale 14. ff. solut. matr. à n. 23. Mendo de Jur. Acad. l. 3. q. 5. n. 33. qui tamen notat privilegium istud mortuis parentibus cessare, eò quod dicta ratio cesset. 6. Famili Studiosorum, & Professorum, si Matri- culæ Academicæ sint inscripti, in loco Academicæ iisdem inserviant, & sint ipsorum domestici. Mendo l. cit. n. 34. & 35. & alij plures apud ipsum ex ratione, quia privilegium domino concessum circa forum communicatur famulis. 7. Notarij, Pedelli, Nuntij, Ostiarij Academici. Mendo n. 34. cit. & eo teste communior DD. ratio est, quia isti sunt Officiales Academicæ, & in Corpus Academicum cooptati. 8. Addunt aliqui cum Mendo n. 34. cit. Typographos, Bibliopolas, Bibliopegos, Magistros Lingua-

rum,  
K 3

rum, & Exercitiorum, ut vocant, seu Artis gladiatoria, saltandi, equitandi; quod tamen alij negant: unde, ut rectè monet P. Friderich *l. cit. n. 375.* spectanda hic sunt singularum Academicarum privilegia à Principe Territoriali concessa, Recessus, & Conventiones cum Civitate initæ, & consuetudines: quæ si desint, probabilius ad istiusmodi personas privilegium fori Academici non extenditur; quia pro ipsis non pugnat ratio, quam allegat *Auth.*

**113** Dub. 2. quid requiratur, ut Studiosi privilegio fori Academici gaudeant? *ny. 1.* requiritur, ut sit Reus; nam quando Scholaris Actor est, forum Rei sequitur, nisi super hoc aliqua Academia speciali privilegio munita sit, vel Studiosus Actor quidem sit, sed ita, ut Rei tamen partes sustineat, prout fit, quando ab alieno Iudice contra eum proceditur, aut injuriâ aliqua est affectus: his enim casibus ad Magistratum Academicum, ut Iudicem Ordinarium, potest trahere undecunque Reum, ut notat Escobar *tr. de Pontif. & Reg. Jurisd. in Stud. Gener. c. 41. à n. 4.* quem citat, & sequitur Mendo *de Jurisd. Acad. l. 3. q. 2. n. 10.*

2. Ut sit in Album, seu Matriculam Universitatis relatus, ut *arg. l. ex eo 42. ff. de testam. milit. & l. suggestionem 1. C. de Advocat. divers. Judicium* tradit Franc. *proem. l. 6. Decret. n. 12. Dominic. ibid. n. 23. Donell. in Auth. cit. n. 6. Zoes. ibid. pag. 207. q. 1. Brunnem. n. 2. contra Horanum Lucium de privil. Scholar. c. fin. n. 20.* Excipitur, nisi Inscriptio hæc per errorem, vel oblivionem (quod facile fieri potest) omiſsa sit; nam tali casu, si ita degens in Academia nihilominus ab eadem pro Scholari agnoscat, & ipse quoad cætera pro tali se gerat, non apparet, quomodo tunc iste defectus obesse eidem possit, tam quoad hoc, aliâque privilegia, quam quoad Jus petendi Examen, & Gradum Litterarium, ut notat P. Friderich *de for. compet. edit. 2. n. 358.*

3. Ut ad Litterarum Studia incumbat in Studio, ut vocant, Generali, & Academia approbata. Bald. *proem. ff. S. & hæc tria n. 10. princ. Lectur. Petr. Gregor. l. 18. de Rep. c. 1. à n. 3. Barbof. de offic. Episc. alleg. 56. à n. 21.* quos citat, & sequitur P. Friderich *l. cit. n. 359.* Ex quo sequitur, eum, qui privato Marte, & instructione litteras discit, privilegio fori Academici non gaudere, ut contra Ummium *Process. Judic. D. 4. th. 12. n. 63.* bene ostendit Mendo *l. cit. q. 8. n. 62.* & merito, quia sic non obtineretur finis ab Imp. & Principibus in Universitatum erectione intentus, qui erat, ut concursu ex varijs Provincijs ad hujusmodi Litterarum Emporia factò, per publicas, ac solennes litterarias Exercitationes, Examina, Graduum collationem animarentur Juvenes ad excolendum doctrinâ animum. Debet tamen *Universitatis* nomen hic non strictè sumi, sed latius,

prout etiam Gymnasia & Lycea complectitur; nam etsi ista verè Universitates, & Academia non sint, ij tamen, qui in his litteris dant operam, privilegio fori gaudent, quia *Auth. habita* generalis est, atque adeo ad omnes Scholares pertinet. Pacius *in Auth. cit. c. 9. n. 4. Matth. Stephan. l. 3. de Jurisd. p. 2. c. 10. n. 9. P. Friderich n. 359. cit.*

Dub. 3. an privilegio fori Academici gaudeant etiam Studiosi Cessatores, ut vocamus, seu ij, qui otio tempus terunt, vel à bonarum artium, aut scientiæ comparandæ studio aliena sectantur? Negant non pauci cum Mendo *l. 3. Jur. A. d. q. 8. n. 63.* & *sqq.* ducti textu *Auth. habita cit.* ubi expressè sermo est de ijs, qui causâ studiorum peregrinantur, & quorum scientiâ illuminatur mundus: quæ verba cum non congruant Cessatoribus, sequitur ad illos privilegium specialis fori, & cæteras Scholarium prærogativas non pertinere *arg. Regulæ c. cum cessante 60. de appellat.*

Sed verior videtur affirmativa sententia, quam etiam tenent Bartol. *in l. ex eo 42. ff. de testam. milit. n. 8. Franc. in proem. cit. n. 12. Tiraquell. de cessant. caus. p. 1. n. 214. Gilken in Auth. habita cit. n. 13. P. Wiesel. hic n. 191.* & habet hoc praxis hodierna, providè inducta ad multa incommoda præcavenda, quæ hujusmodi Cessatores fori Academici privilegio non antè spoliatur, quam per sententiam ab Academia dimittantur. Ratio est 1. quia nupiam differè in Jure cautum est, quòd privilegium Fori Academici à Cessatoribus, & otiosis Scholaribus ipso Jure amittatur. Igitur retinebunt illud, donec ob ignaviam eo priventur, & exclusi Academia, sortiantur forum Judicis Ordinarij loci. 2. Quia neque Clerici, neque milites, neque Advocati extra casus à Jure expressos privilegij, toti Ordini suo concessis, excidunt, antequam gradu suo dejecti, aut soluti Sacramento dimittantur, ut de Clericis constat *c. cum non ab homine 10. de Judic. de Militibus l. fin. ff. de re militar. de Advocatis l. fin. C. de Advocat. divers. Judic.* Ergo idem dicendum de Scholaribus. 3. Quia per se absurdum videretur, quòd hujusmodi Cessatores peccando possint se subtrahere Jurisdictioni sui Rectoris, & quæ onera illorum personam debebant, certa ratione prærogativam ipsdem afferant, nisi velimus hujusmodi desiderium hominum ludibrio, & injurijs auctoritatem Academici Magistratus exponere.

Ad rationem adverse sententiæ dico, illà quidem probari, quòd ad ita desides, & otiosos non pertineant testimonia scientiæ, & diligentia, Gradus Litterarij, & Munera publica; non tamen ostendi, quòd ipso Jure & Studiorum neglectu privilegio fori Academici, & alijs Scholarium prærogativis excidunt, quamvis privati ipsdem possunt.

Dub. 4. an tantum illi hoc fori privilegio

gio gaudeant, qui extra patriam docent, aut discunt? Ita quidem Bald. in *Auth. habita cit. n. 3.* Salicet. *n. 2. ibid.* Sichard. *n. 9.* Pacius *c. 4. n. 8.* ducti verbis *Auth. cit. ibi: Qui studiorum causâ peregrinantur, & qui amore Scientiæ exulant*, quæ verba loci Originarijs, & Civibus non conveniunt, quippe qui peregrinis, & exulibus maximè opponuntur. Accedit, quia hoc privilegium est contra Jus commune, adeoque extensionem ad personas non expressas non admittit.

Sed verior est negativa Sententia, quam defendunt Angel. in *Auth. cit. n. 6.* Hunnius *ibid. c. 1. q. 5.* Gilken *n. 21.* Zœf. pag. 207. Umnius *Process. Judic. D. 4. th. 12. n. 64.* Matth. Stephan. *de Academ. c. 5. n. 34.* Carpov. *l. 2. respons. Jur. Saxon. respons. 32. n. 20.* Linnæus *de Jur. publ. l. 8. c. 9. n. 50.* P. Wiest. *hic n. 192.* P. Friderich *edit. 2. n. 361.* P. Schmier *c. 3. n. 234.* factique pro ea consuetudo optima Juris interpres, & ratio ipsa; quia ad privilegium fori specialis, & alias prerogativas Scholaribus concedendas moverunt Imperatorem duæ rationes per se sufficientes, una, quòd Studiorum causâ Scholares patriam deserant; altera, & principalis, quòd eorum scientiâ illuminetur mundus, & vita subditorum informetur: quando autem aliquid statuitur ex duabus causis, quarum singulæ per se sufficiunt, ejus Statuti dispositio locum habet, dummodo earum altera, & principalis subsistat *arg. l. fin. §. fin. V. Et licet ff. de J. Et P. 7.*

Ex quo cadit ratio dubitandi allata in contrarium. *Ad Conf.* negatur extendi privilegium ad casum non expressum, cum etiam pro inquilinis non minus, quam peregrinis ratio principalis ab Imperatore assignata militet; conf. ab isto potius facta extensio censi debeat, quam ab *Auth. cit.* Interpretibus.

116 Dub. 5. an Jurisdictio per *Auth. cit.* data se extendat etiam ad causas Studiosorum criminales? Non ad istas, sed ad Civiles tantum extendi contendunt cum Bald. Angel. Paul. de Castro. Cujac. in *Auth. cit. circa fir.* Sichard. *n. 20.* Pacius *n. 13.* Lucas de Penna in *l. 2. C. de privil. Scholar.* Jason in *l. 3. ff. de constit. pecun. n. 52.* Donell. *l. 17. c. 20.* Petrus Heigius *p. 2. q. 11. n. 7.* Vultejus *ad l. 10. C. ubi caus. fisc. n. 3.* existimans Rectorem Academiæ in Criminalibus Jurisdictionem non habere, præterquam si ex speciali privilegio eam acquisiverit: & videtur hoc etiam probari 1. Quia nunquam in generali concessione Jurisdictionis Imperium merum comprehenditur *l. quecumque 1. ff. de offic. ejus, cui mandat. est Jurisd.* 2. Quia Academia Bononiensis, ut Horatius Lucius, & Parisiensis, ut Bodinus testantur, forum privilegiatum non habent in Criminalibus. 3. Quia ita habet multarum aliarum Academiarum usus, & sensus.

Verior, Jure communi spectato, vi-

detur esse affirmativa sententia, quam etiam propugnant Gloss. in *Auth. cit. V. si litem.* Bartol. *n. 4. in fin.* Horat. Lucius *tr. de privil. Scholar. privil. 65. §. 69.* Clar. *S. fin. q. 35. n. 23.* Escobar *de Pontif. §. Reg. Jurisd. c. 40. n. 2.* Scipio Gentilis *l. 3. de Jurisd. c. 17.* Linnæus *tr. 8. Jur. publ. Rom. c. 9. n. 33.* Mendo *de Jur. Acad. l. 1. q. 20. à n. 454. & l. 3. q. 2. n. 8. P.* Wiest. *hic n. 194.* P. Friderich *edit. 2. n. 364. §. 365.* P. Schmier *de Judic. c. 3. n. 242.* & alij plures, qui tam frequenti calculo in eam concedunt, ut aliter pronuntiantes Horatius Lucius *privil. 69. cit. in fin.* non dubitavit Hæreticos appellare, quasi compertæ veritati repugnarent.

Colligitur ex *Auth. cit. ibi, Nec ob alterius cujuscunque Provincie delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat; Et: Si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit; nam litis, & negotij nomine non infrequenter etiam cause criminales veniunt l. properandum 13. princ. C. de Judic. l. fin. C. ut intra cert. temp. criminal. l. qui crimen 36. C. de his, qui accusar. l. in criminali 5. C. de Jurisd. omn. Judic.* Ratio est 1.

Quia per verba *Auth. cit.* Magistratui Academico concessa est Jurisdictio Ordinaria, ut ex textu patet.

Quoties autem Princeps Jurisdictionem Ordinariam indistinctè concedit, merum Imperium, conf. etiam Jurisdictionem in causas criminales concessisse censetur; quia talis concessio est privilegium Principis, quod plenissimè interpretandum est, præsertim illud, quo Ordini hominum Reip. utilium, ut præsentī casu, prospicere voluit, ne extraneorum Judicum injuriâ à scientiæ comparandæ studio avertantur. 2. Cui denegatur Jurisdictio in minoribus, & civilibus negotijs, multo magis in gravioribus, præsertim criminalibus causis denegata esse censetur *l. relegatorum 7. §. fin. ff. de interd. Et relegat. & l. fin. C. de agentib. in reb.* atqui secundum omnes *cit. Auth.* Imperator Studiosos litterarum subtraxit Jurisdictioni Judicis Ordinarij loci in causis civilibus. Igitur multo magis eos subtraxisse censetur in criminalibus.

3. Hunc esse sensum *Auth. cit.* ostendit tum praxis Universitatum Europæ præcipuarum, quæ Jurisdictionem suam etiam ad causas criminales extendunt; tum Tribunalium extraneorum, à quibus Scholares comprehensi ad Academicum Magistratum renuntiantur.

Neque urgent Argumenta opposita. *Ad 1.* ibi sermo solum est de mandata, seu delegata Jurisdictione, non de Ordinaria, qualis, ut antè dictum, est Jurisdictio Magistratus Academici. *Ad 2.* nec Pontifex Bononiensis, nec Rex Galliarum Parisiensis Universitatis Supremi domini illa Imperatoria Constitutione obligantur: & hinc mirum non est, si eâ non attentâ, suis Academij eam Jurisdictionem non concessere. *Ad 3.*

quòd

quod alia quædam Universitates hac Jurisdictione careant, id fortasse factum est, quia Jurisdictio Jure competens in foundationis limine, vel postea autoritate, & ordinationibus Principum restricta fuit; potest enim Princeps Juri communi derogare per sua Statuta, ut in confesso est apud omnes. Cætera, quæ ab alijs obijciuntur, vim non habent; quia pleraque in Clericis, & Militibus, specialis fori privilegio munitis, solvi debent.

117 Dub. 6. an si Studiosus alibi delinquit, & in loco Studiorum reperitur, ad locum delicti remittendus sit? *iv.* negativè ex unanimi DD. sententia; nam teste P. Friderich de for. compet. edit. 2. n. 367. vix est, qui contrarium asserat.

Major difficultas est, an Studiosus ex loco delicti remittendus sit ad Forum Academicum? Dissentiunt enim DD. nam 1. Bald. Accurs. Vultejus, & alij apud Ummium *Process. judic. D. 4. n. 66.* exstinguunt omne privilegium tolli per delictum, adeoque facinororum Scholarem ibi conveniendam esse, ubi delinquit.

2. König hic n. 52. vult attendendum ad privilegia cujuslibet Academiae, & ad eorum, qui illas fundarunt, & privilegia datarunt, mentem; quia hi Jurisdictionem Universitatibus, à Jure communi concessam, aliquando restringunt, vel ampliant.

3. Et communis DD. ut Engl hic n. 29. Friderich n. 367, Schmier de judic. c. 3. n. 243. observant, docent, nisi aliud alicubi receptum sit, delinquentem Studiosum ad locum Academiae, si petatur, vel ipse petat, remittendum esse; videtur enim hoc clarè decisum *Auth. habita cit.* ubi Imperator, *Decernimus*, inquit, *ut nullus de cætero tam audax inveniat, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cujuscumque Provincia delictum, sive debitum -- aliquando damnatum ipsi inferat*, ubi notanda maxime sunt verba, *Ob alterius cujuscumque Provincia delictum*, quibus significatur, in quocumque loco deliquerit, non tamen ibi, sed coram Magistratu Academico conveniendum esse. *Conf.* exemplo militum, qui alibi delinquentes ad suum Judicem remittuntur *l. de militibus 9. ff. de custod. & exhib. reor.* nisi sint desertores militiae *l. desertorem 3. princ. ff. de re milit.*

Neque obstat, quod Jus petendi remissionem Studiosi alibi delinquentis quibusdam Academicis in specie sit concessum; nam per ejusmodi concessionem non tam privilegium novum indultum, quam id, quod Jure communi concessum est, declaratum censeri debet.

118 Dub. 7. an ita remitti ad instantiam Rei, vel Senatûs Academici debeat etiam is, qui à Judice loci delicti commissi, vel celebrati contractus per citationem præventus, & postea punitus factus Scholaris est? Affirmant Bologn. in *Auth. habita cit. n. 220.* Rebuff. de privileg. Scholar. privil. 153. Horat.

Lucius simili *tr. privil. 66.* quos citat, & sequitur Barb. in *l. si quis posteaquam 7. ff. de judic. n. 113.* ex ratione, quia privilegium fori specialis *Auth. cit.* Scholaribus ob bonum publicum, ad cujus conservationem, & promotionem bonarum artium studia per se tendunt, indultum est.

Sed respondendum est negativè, ut rectè Oliva for. *Eccl. p. 3. q. 33. n. 45.* & P. Wiest hic n. 199. notant, & dicendum tali casu Judicem adversus ita præventum posse Judicium inchoatum prosequi etiam, postquam is in Scholarium numerum, & matriculam relatus est. Ratio est, quia, ut infra n. 142. dicam, præventionis effectus non impeditur per superveniens privilegium, etiam moru proprio concessum à Principe, nisi id exprimat. *Conf.* à pari cum Clerico, qui si ante Clericatum per citationem præventus fuit à Judice Sæculari, coram illo respondere usque ad causæ definitionem debet.

Ad Argumentum Adversariorum patet retorasio in Clericis, quibus privilegium fori specialis non minùs intuitu boni publici concessum est, ut colligitur ex *c. si diligenti 12. h. tit.* & tamen, ut modò dictum est, præventionis effectum non impedit, quòd huic in ejus concessione derogatum non sit. Igitur cum æquè parum per *Auth. cit.* derogatum sit præventionis effectui, hic pariter, superveniente privilegio fori Academici, non impediatur.

Dub. 8. An Academico Magistratui competat Jurisdictio in Clericos litterarum Studiosos? Affirmant Gilken in *Auth. habita cit. n. 22.* Escobar de Pont. *Reg. Jurisd. c. 33. n. 12.* Mendo *jur. Academ. l. 1. q. 21. n. 468.* allegantes pro hoc *Auth.* Sed perperam, nisi ostendant eam Constitutionem canonizatà esse; cum enim illa Imperialis duntaxat sit, per illam privilegium fori Ecclesiastici Scholaribus Clericis tolli non potuit.

Quare utendum est distinctione, an Magistratus Academicus omnino constet ex Sæcularibus, an verò, ut Catholicae Universitates consueverunt, sit Corpus mixtum ex Clericis, & Sæcularibus. *Si primum*, Magistratui Academico Sæculari Jurisdictio nulla in Clericos Scholares competit ob privilegium Clericale, quod eosdem ab omni Magistratu purè Sæculari eximit. *Si secundum*, Magistratus Academicus aliquando Jurisdictionem in Clericos Scholares exercet: sed hoc contra Jus commune; nam Jure communi subjacent Episcopo loci Ordinario, qui eodem Jure fundatam Jurisdictionem in Clericos omnes suæ Diocesis habet, nisi speciali Jure ab hac exempti sint. Hinc ut in eodem Magistratu Academicus, etiam qui mixtum Corpus ex Clericis & Laicis constituit, Jurisdictionem exercere possit, necesse est, ut eam vel privilegio Apostolico, vel concessione Episcopi in limine foundationis, vel præscriptione Canonica, vel transactione, aut sen-



sententiâ Judicis, quæ in rem judicatam transijt, aut arbitratorum pronuntiatione sit consecutus; nam his solum modis Clerici alterius, quam sui Ordinarij, Jurisdictioni subduntur.

Difficultas est, an Jurisdictionem hanc in Corpore mixto extra Senatam Academicum in Clericos exercere possit solus Rector, si iste sit Sæcularis? Negat Abb. in c. si diligenti. 12. h. tit. n. 27. Et seqq. quem citat, & sequitur Colendissimus Antecessor meus P. Melchior Friderich p. m. de for. comp. edit. 2. n. 371. quod agnovisse etiam videtur Serenissimus Elector Bavarie in Decreto, quod emanavit 1642. 26. Martij, ubi sanxit, ut casu, quo sub Rectoratu alicujus Professoris conjugati casus contingeret, quem ex defectu, & incapacitate Jurisdictionis hujusmodi Rector non posset decidere, causam alicui Professori Clerico (dummodo iste Rectorabilis sit) committeret decidendam. Et videtur hoc ipsum probare ratio; quia generaliter Laico in Clericum Jurisdictioni nulla competit, nisi data illa eidem sit à Summo Pont. hanc autem datam in casu præsentis esse non conitat. Verum de his alibi forsan.

Dub. 9. quandonam amittatur Privilegium Fori Academici? 1. amittitur discessu ab Academia animo non redeundi; si de hoc animo non sufficienter constat, privilegium fori Academici à Scholaribus non amittitur, nisi ab Academia abfuerint quinquennio; quia intra hoc tempus censetur adhuc reineri animus revertendi, præsertim si Examen ultimum nondum subierunt, aut Gradum litterarium susceperunt. Bald. Gomez. Bartol. Salicet. Perez, & alij, quos allegat P. Friderich. de for. comp. edit. 2. n. 370. 2. Si Scholaris committat crimen, in quod per Statuta Academica lata est poena privationis fori Academici. P. Friderich. cit. n. 377. 3. Si à Vidua, vel pupillo conveniatur, ut volunt Bald. in Auth. cit. n. 61. Et 62. Oldendorp. de Jur. singular. Ummius D. 4. th. 12. n. 66. & communiter DD. 4. Si non habeat requisita n. 113. 5. Si conveniatur de rebus, quas extra locum, in quo est Academia, aliâ, quam Studiorum contemplatione, e. g. proprietarum rerum componendarum causâ, tractat. Vultejus ad l. un. C. in quib. reb. militant. Ummius n. 66. cit. in fin. quod tamen alij negant.

Facilius privilegium fori Academici amittunt ij, qui non sunt Scholares; nam Vidua Academici præter causas allegatas illud amittit etiam per secundas nuptias contractas cum alio, qui non est Academicus; Filij illorum, quando exeunt ex patria potestate; Officiales Academiae, quando officium suum dimittunt; quia privilegio hoc non ratione personæ, sed officij duntaxat gaudent.

Quæritur 4. quodnam sit forum competens Principum, & Ordinum S. R. Imperij? 1. distinguendo triplicem illorum Classem, in quas distribui possunt ij, qui Romano Impe-

rio sunt immediatè subjecti. Horum prima est Principum, & Principali dignitate illustrium, **Chur: Fürsten / Fürsten / und Fürstenthümliche.** Secunda Prælatorum, Comitum, Baronum, Nobilium, Tertia Civitatum Imperialium.

Respectu istorum omnium forum competens, in quo conveniri possunt, est Camera Imperij, & Judicium Imperiale Aulicum; quia tamen ab his Judicij appellari non potest, ne immediati Cives Imperij deterioris conditionis sint, quam mediatè subjecti Imperio, quibus secunda, & quandoque tertia instantia permittitur, antequam ad Cameram Imperij, vel Judicium Imperiale Aulicum deveniatur, idcirco Imperatoris, & Procerum Imperij consensu unanimitè constitutum Ordin. Camer. p. 2. tit. 2. Et 3. ut Cives immediati Imperij primæ instantiæ loco, sive ab immediatis, sive à subditis, & mediatis conveniantur, sortiantur forum coram Judicibus *Austregarum*, sic dictarum à Germanico *Austragen*. Vitiarius Inst. Jur. publ. l. 4. tr. 5. n. 1. Pfeffinger ibidem lit. a. quos citat, & sequitur P. Schmier de Judic. c. 3. n. 252.

An Judices hi Austregarij Jurisdictionem Ordinariam habeant, vel Delegatam, magna apud DD. est altercatio.

Ordinariam iisdem tribuunt Bocerus de Jurisd. c. 7. n. 26. Ummius ib. 8. n. 41. Subi. ard. tr. de Austreg. c. 6. n. 172. Blum. process. Camer. tit. 27. n. 12. Delegatam nominant Vultejus ad l. 1. C. de Jurisd. omn. Judic. n. 86. Mindan. l. 1. de processib. c. 19. n. 4. Mynting. cent. 2. obs. 52. Gaill. l. 1. obs. 1. n. 52. obs. 33. n. 3. & alij, quos citat, & sequitur P. Friderich de for. comp. edit. 2. n. 339. Contra Vitiarius l. cit. n. 14. quem citat, & sequitur P. Schmier n. 259. iisdem tam Ordinariam, quam delegatam Jurisdictionem negat, sed arbitros duntaxat illos esse pronuntiat, non tamen qualescunque, sed Legales, seu à Lege publica constitutos. Verum his non vacat ulterius immorari. Hinc

Dub. 1. quanam causæ Austregarum 129 Judicio decidi possint? 1. decidi hoc possunt causæ solum temporales, & que merè Civiles, & quæ ex speciali ordinatione non speciales Judices habent. Adeoque decidi in hoc nequeunt

1. Causæ Matrimoniales, ut contra Mindanum, Vultejum, Ziegler, & quosdam alios Hæreticos Catholici omnes docent, & probat manifesta ratio, cum spirituales sint. Excipitur, si moveatur quæstio de mero facto; quia hoc nihil spiritualitatis habet.

2. Causæ Feudales; quia de his, si controversia sit super Ducatu, Principatu, Comitatu, cognitionem sibi reservavit Imperator Ordin. Camer. p. 2. tit. 7. si de alijs Feudis inferioribus, ex Jure Feudali proprios habent Judices, ut dictum est Tit. 1. n. 65. Et seqq. Excipitur casus, quo Vassallus dominum non vult agnoscere, & se Vassallum ejus

ejusdem negat; nam eo casu Austregis locum unà cum Camera Imperiali facit Mindan. *l. cit. c. 19. mem. 9.* vel ut insinuat P. Friderich *l. cit.* Austregarum Judices cognoscere etiam soli possunt.

3. *Causæ criminales*, ut contra Mindan. *l. cit. c. 9. princ.* & Ummium *D. 4. cit. th. 10. n. 51.* docet Vult. in *l. 1. C. ubi Senator. n. 48.* Subhard. *tr. de Austreg. c. 5. n. 18. & sqq.* & alij plures, quos citat, & sequitur P. Schmier *n. 260.* Ratio est, quia causarum istarum cognitionem ne Camera quidem recipit, debentque illæ in unica instantia citra appellationem absolvi per *Recess. Imp. Anno 1530. §. item 95.* ut adeo ratio Austregarum in ijs cesset. *Neque obstat*, quòd Ordinatio Camerae *p. 2. tit. 2. & tit. 4. princ. V. Spruch / und Forderung* generaliter, & indefinitè Austregis Jurisdictionem tribuat: quia voces istæ convenientius ad causas Civiles, quibus aliquid pro altero petitur, coarctantur; aliàs si in totalitudine deberent accipi, etiam causas Feudales contra unanimum DD. sensum iisdem comprehendi deberent.

123 Dub. 2. an Austregarum forum omnibus Imperij Ordinibus concessum sit? *h.* negativè; nam privilegium hoc non gaudent Civitates Imperij, sed à quocunque conveniantur, in Camera Imperiali, vel Judicio Aulico conveniendæ sunt, ut contra Richard. *l. 2. cons. 129. q. 3.* & Gilhus. *Arbor. Judic. c. 2. p. 1. §. 8. n. 3. & 6.* docent Gaill. *l. 1. obs. 1. n. 20.* Mindan. *c. 19. cit. mem. 10.* Ummius *D. 5. cit. th. 9. n. 48.* Subhard. *tr. cit. c. 3. à n. 3.* & alij plures, quos citat, & sequitur P. Friderich *de for. compet. edit. 2. n. 348.* & P. Schmier *de Judic. c. 3. n. 253.* dicens esse unanimum ferè Publicistarum. Sumitur ex *Ordin. Cam. p. 3. tit. 27.* ubi decernitur, omnes in Camera conveniendos esse, qui nec alio, nec Austregarum foro potiuntur, atqui Austregarum forum Civitatibus Imperij nusquam communicatum invenitur, igitur cum aliud Judicium non habeant, in prima quoque instantia in Judicio Camerae, vel Imperiali Aulico conveniri debent.

Excipitur, nisi Austregarum privilegium vel longissimi temporis præscriptione, vel speciali gratiâ Imperatoria obtinuerint, prout obtinuisse dicuntur Argentina, Dünckelspila, Eslinga, Fridburgum, Gelnhusium, Hala Suevorum, Memminga, Mülhusium Thuringorum, Norimberga, Ratisbona, Reuthlinga, Schwveinfurtum &c. de quibus Matth. Wehner. *l. 6. Symphor. c. 7.* Ummius *n. 48. cit. Blum. process. Camer. tit. 26. n. 53.*

124 Dub. 3. quomodo Austregarum Judicium instituendum sit, quando convenitur persona *primæ Classis* ex recensitis *n. 129. h.* hic distinguendum est, an conveniantur à persona ejusdem secum Ordinis, vel diversi. Si *primum* contingat, Actor mittit Reo libellum Actionis, quâ experiri cogitat,

ipsūque simul requirit, ut se Judicio Austregario submittat. Reus requisitus intra quatuor hebdomadas, à facta requisitione, seu Litis denuntiatione computandas, nominare tenetur quatuor Principes Regentes, sive qui sunt cum imperio, partim Ecclesiasticos, partim Sæculares, ex diversa tamen Domo, & Familia: è quibus Actor eligit unum pro Judice, reumque super hoc certiore reddit. Quo facto Judex sic electus intra quatuordecim dies ab utraque litantium parte pro munere judicandi suscipiendo imploratur, ut habetur *Ordin. Cam. p. 2. tit. 2.*

Si *secundum* fiat, juxta *Ordin. p. 2. cit. tit. 4.* varia experiendi remedia Actori competunt. 1. petere potest, ut Princeps, vel Elector conventus coram novem suis Consiliarijs, juramento solutis, & non suspectis, è quibus quinque Equestris Ordinis, reliqui Juris periti sint, Jus sibi dici patiat. 2. potest Actor, si mavult, ex iisdem novem Consiliarijs septem, aut quinque eligere, qui dicto modo causam tractent. 3. potest Princeps conventus nominare tres alios Principes non suspectos, è quibus Actor, quem volet, eligat, ut juxta dictam Ordinationem procedat. 4. si maluerit, potest Actor unum Commissarium (qui saltem Prælatus, aut Comes sit) ab ipso Cæsare impetrare, ut coram ipso causa ventiletur, & expediat. 5. si ita placuerit, Actor designare potest novem viros bonos, & totidem ex Consiliarijs suis Princeps conventus, ita ut Actor ex his Rei Consiliarijs tres, & Reus duos ex propositis ab Actore seligat, quorum judicium stare velint. 6. possunt ad eundem finem eligi duo viri boni ab Actore, & duo Consiliarij a Reo cum Jure adjungendi sibi quintum, si in unum convenire nequeant, vel si etiam in hoc optando discordes sint, cum obligatione acceptandi designatum à Cæsare. 7. potest Actor ex Principis conventi Consiliarijs quinque seligere, qui, sic, ut de novem dictum est, procedendi, & pronuntiandi facultatem habebunt, ita tamen, ut Reus, priusquam illi quinque seligantur, unum, aut duos suorum Consiliariorum, quorum operâ pro sui Juris defensione uratur, excipiendo sibi reservare valeat. 8. denique potest Reus conventus nominare novem ex suis Consiliarijs (quorum quinque Equestris sint Ordinis) qui priori remisso, novo Juramento obstringantur de justè secundum utriusque partis producta judicando, ita ut utraque pars quatuor, & si testes sunt examinati, post rotui publicationem duo insuper, nec amplius producta singulis quaternis hebdomadis exhibeat, & concludat, & si quid novi in ultimo scripto à Reo in præjudicium Actoris objicitur, non attendatur. Videatur *Ordinatio Camerae cit.*

Hic solum noto, parum interesse, an hoc secundo casu Actor sit Imperio subjectus immediatè, an mediatè, an sit proprius, an alie-

alienus subditus; nam juxta *Ordin. cit. S. fin.* eadem via in his tenenda est, nisi Princeps conventus aliud obtinuerit privilegio. Quod si Actor nullo modo subiectus Imperio sit, adversus reum Principem non tenetur experiri Judicio Austregarum, utpote quod solum constitutum est pro subditis Imperij, quorum in *Ordin.* tantum sit mentio: unde poterit eum immediatè convenire in Camera Imperiali, ut Mindanus, & Stephanus volunt, vel ut rectius sentiunt Vultejus, & Gilhufius, quos citat, & sequitur P. Friderich n. 344. coram Imperatore, qui de Jure communi est Judex Principum Imperij Ordinarius.

125 Dub. 4. quomodo Austregarum Judicium instituendum sit, quando convenitur persona *secundi Ordinis* ex relatis n. 121. in his dispendiendum est, an conveniantur à personis primi Ordinis, an à personis secundi, seu sibi similibus, an à personis tertij.

Si primum fiat, per *Ordin. Cam. p. 2. tit. 3.* duo proponuntur modi: unus est, ut accusatus tres Electores, aut Principes nominet, è quibus Actor sibi unum assumat in Judicem; alter, ut Elector, vel Princeps Actor ab Imperatore impetret sui Status Commissarium, minimè suspectum, nec à rei domicilio ultra 12. milliaria habitantem. Potest autem ex his duobus eligere actor modum, quem velit.

Si secundum contingat, iterum duplex

modus id faciendi *Ordin. Camer. p. 2. cit. tit. 5.* est proditus, potestque Actor alterutrum eligere, & vel pro Commissario, ut modò dictum est, Imperatori supplicare, vel ex Electoribus, & Principibus, ultra 12. milliaria à se non remotis, à Reo nominandis, unum accipere.

Si tertium eveniat, & persona secundi Ordinis conveniatur à persona Ordinis tertij, vel omnino extraneà, immediatè conveniuntur in Camera Imperiali, Mindan. l. 1. de process. c. 18. memb. 3. Matth. Stephan. l. 1. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 36. Subhard. c. 4. cit. à n. 12. § 42. Quod etiam verum est, quando conveniuntur ab alijs Civitatibus, vel Personis, non immediatè subiectis Imperio, ut cum alijs notant Mynsing. cent. 1. obs. 89. Gaill. l. 1. obs. 1. n. 17. § 46. Zanger, p. 2. de except. c. 1. n. 356. testaturque Mynsing. l. cit. ita crebrioribus sententijs judicatum fuisse in Camera.

Neque refert, quòd persona primi Ordinis, si à persona inferioris Ordinis mediatè Imperio subiecta conveniantur, coram Austregarum Judicibus conveniri debeant; nam hanc differentiam statuere Statibus, & Ordinibus Imperij visum est, fortè propter præminentiam, & excellentiam Principalis Dignitatis, ut n. 17. cit. notat Gaillius. Verum de his fatis: qui plura volet, Legatas, & Publicistas consulat.

## §. VIII.

## De quibusdam alijs Fori Specialis Generibus.

## SUMMARIUM.

- 126. *Alia quedam genera specialis fori.*
- 127. *Forum Jactationis, seu Diffamationis.*
- 128. *Judex in hoc foro.*
- 129. *Cause, in quibus competit.*
- 130. *An locus ei sit etiam, quando Clericus est diffamans, vel diffamatus?*
- 131. *An in hoc foro inducatur preventio per citationem diffamantis?*
- 132. *Que sit praxis istius remediij?*
- 133. *Forum l. si contendat 28. ff. de fidejussor.*
- 134. *Quomodo illud competat?*
- 135. *An etiam ante lapsum terminum, vel conditionem impletam?*
- 136. *Forum Preventionis.*
- 137. *Requisita, ut inducatur.*
- 138. *An post citationem Actor variare valeat.*
- 139. *An citatione unius Correi inducatur Præ-*

- ventio etiam respectu ceterorum?*
- 140. *Coram quo Judice conveniri debeat Laicus, quando est Socius Clerici in crimine?*
- 141. *Vel quando ipse, & iste sunt duo Correi debendi?*
- 142. *An mutato foro, forum preventionis cesset?*
- 143. *Forum Prorogationis.*
- 144. *Requisita ad istud forum.*
- 145. *Casus, in quibus ei est locus.*
- 146. *Personæ, que prorogare Jurisdictionem Judicis non possunt.*
- 147. *An istud possunt Clerici respectu Judicis Laici?*
- 148. *An respectu Judicis Ecclesiastici non sint?*
- 149. 150. *An Clerici, & Religiosi exempti subdicere se Jurisdictioni Ordinariorum possint?*

126 **P**ræter Forum privilegiatum, de quo in precedentibus duobus §§. sunt adhuc alia Fori Specialis species, quibus aliquis Judici, qui alias suus non est, subditur. Sunt autem Species istæ

potissimum septem, ratione Delegationis, Reconvencionis, Continentiæ caularum, Jactationis, seu Diffamationis, Preventionis, Prorogationis, & ex l. si contendat 28. ff. de fidejussor. De Foro delegationis sufficienter